112.

D. Jacobo Grynaeo D. Rarcus Sal.

Venerande Pater Grynaee, Scripsi nuper de luctuoso obitu nostri Josiae et de homagio à Civitate et aula praestito Illustr. Principi D. Johanni Bipontino Tutori et Administratori ex Testamento defuncti. Etiam Amptergenses haud gravatim fidem dederunt. Urbs nostra firmo tenetur praesidio. Dies funeri dicta 17 octobr. utinam sine tumultu abeat. Plurimi civium hic Flacianas partes adhuc sectantur, et clam multa machinari dicuntur ad statum subvertendum, cum nullam habeant causam. Indifferenter enim hactenus habiti cum nostris atq; ad honores admissi, nec possunt culpare ministerium ulla parte nisi quod orbiculis frui non licet in urbe. 24. Septemb. sub horam 7. vesp. venit ad portam Spirensem Filius Neoburgi Augustus cum 30. equitibus. Monitus fuerat à Durbaceno atq; etiam ab aula nostra ne adventaret, fore ut excluderetur; venit tamen. Primum repagula portae vidit sibi claudi à praesidiariis ac jussus praestolari, dum responsum acciperent ex aula. Mox duo mittuntur aulici nobiles, quaerentes ecquid veniat? Si ut Palatinus et Patruelis, patere portam, sin ut administrationem Palat. affectans intromitti non posse. Hoc posterius asserens excluso se vidit. Protestatus igitur de injuria indignabundus retrocessit, et semi milliari uno ab urbe pernoctavit. Mane facto inter jentandum ex aula missus ad eum Nobilis Engelbertus à Lautern Consiliarius, primo non admissus, et jussus in scriptis quid vellet significare, negavit id se habere in mandatis, admissus tandem coram excusavit hesternum factum, quod citra periculum tumultus popularis intromitti non potuerit. Sin cuperet cum D. Administratore de re tota colloqui, paratum eum fore tuto loco, quod unà negaret sibi à Patre comissum, rogatus fuit, ut ad sequentem usq; quiesceret. Adfuturum tunc Principem

Christianum

Christianum Anhaltinum et Mauritium Nassoviu[m] s: Hunc ajunt cum aliquot equitum turmis venturum s: et Principes viros alios, qui ex aequo et bono negotium hoc sint transacturi. At ille repetita protestatione discessit. Haec femina sunt graviorum perturbationum. Vos nobiscum orate Deum, ut Principes nostros prudentia et roboris spiritu instruat, et sanctam suam clementer foveat. Cujus gratiae te cum Tuis, venerande Pater commendo. Vale 28. Septemb. 1610. de eo ibid.

Literis hoc fratribus Tigurinis communicare, ut nobiscum ad preces descendant.

D. Michaëli Lossenio Consiliario Palatino D. Patrono s. p. 113.

Nuper de Sutzemii Apostatae refutatione sub nomine Tui Bernhardi, quem scio hanc personam sustinere posse, nec immerito debere, ad te scripsi, fautor honorande, amice antiquissime. Haec coepi committere prelo in silentio, maluissem fieri apud vos, sed loci distantia obstat: nec ego omnia absolvi. Mitto tria prima folia, ut videas specimen. Videbis in 2da et 3tia parte non contemnenda. Jugulum iste nequam petit, et nos petimus vicissim. Quarta pars in tractatum non tanti erit, quia vix praeter KOKKOBNOVIS prius refutatas multa continet. De praefatione et Dedicatione, quam mihi, cupio audire tuam et tui Bernardi sententiam. Si ita placet, bene. Sin aliter, monete, ut velitis, an ut titulo supponatur nomen Aubery d. ? an nullum? mallem illud; si per vestros Aubery: typographos liceret, ne Adversarii subolfacerent officinam nostram: An ut tibi potius dedicetur à Tuo Bernhardo? omnia sunt integra. Hunc mihi laborem benevolum propter Westalienses, qui ad me per Patrem D. Bernhardi ad me ista miserunt,